Meditationes Philologicæ,

Quas

Cons. Ampliss. Facultate Philosophica,

Præside

ANDR. O. LINDFORS

S. S. Theol. & Phil. Doct., Eloqu. & Poës. Prof. R. & O., Reg. Ord. de Stella Boreali Membr.

Bonorum censuræ subjicit

SUENO J. BORGH,

Smolandus.

In Auditorio Chemico d. v Maji MDCCCXXXVIII.

hor. a. m. sol.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXVII.

1. Verborum Latinorum activa forma duo habet futura, primum quod desinit in *bo* l. *am*, secundum s. exactum, quod desinit in *ro*. Utrumque indicativi esse, recentiores Grammatici communi fere consensu affirmant, cum veteres hoc ad conjunctivum modum transferrent.

2. Utrumque Conjunctivo carere, multorum fuit opinio, qui docerent, in omni Conjunctivo futuri quiddam ita inesse, ut prioris vices hoc in modo agat præsens conjunctivi, posterioris perfectum conjunctivi. Quod quidem ita adprobo, ut futurum primum conjunctivum præsentis finalem potiori suo jure adsumat, futuro periphrastico ceteroquin vindicato, futurum vero secundum proprio gaudere videatur conjunctivo, cujus forma, ex interiori quadam significationis propinquitate, præterito conjunctivi similis sit.

3. Hujus exempla quædam afferre, ex quibus prudentiores judicent, operæ mihi pretium videtur. In *Ciceronis* igitur *Ep. Fam.* X: 24 legimus: *amor tuus utrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie sit allaturus, non facile dixerim;* in *Plin H. N. IX:* 78: *Non facile dixerim, qua ætate coeperit;* in *Quint. J. O.* 1: 2 *Equidem hoc ad quædam prodesse non negaverim;* et *ib. Nec utique certum imperaverim modum.* Neque hæc et similia huc referre dubitaverim: *Ipse viderit, Cic. Att. XII:* 21. *Dixerit, ut venias pacta tibi nocte, venito, Ov. Rem. Am.* 505. *Virginius viderit, de filia, ubi venerit, quid agat, Liv. III:* 45, ubi primum conjunctivi, alterum indicativi esse ar-

bitror. Pro hoc conjunctivo et futurum primum et conjunctivi præsens interdum adhiberi, nemini non notum. Porro: *Facturusne operæ pretium sim, si a primordio urbis res populi Romani perscripserim, nec satis scio, Liv. Præf. Non committam, ut si defugerim, tibi causam aliquam dem recusandi, Cic. de Or. II:* 57. *Si dederim, tota cedet uterque domo, Ov. Am. III:* 8, 64. *Quid cetera dicet Italia, ad mortem si te prodiderim, Virg. Aen. XII:* 40—42. In his omnibus Indicativus eodem fere jure adhiberi potuerat, eo scilicet discrimine, quod vulgo inter indicativum et conjunctivum intercedit. *Si perscripserim* enim nihil aliud est, quam: si forsan satis mihi temporis et virium datum fuerit, ut hoc opus ad finem perducere possim; *si perscripsero* autem: cum s. ubi ad finem id perduxero. Neque dubitandum est, quin hæc forma, etiam ubi conjunctivus necessario quodam regimine postulatur, ab antiquioribus adhibita fuerit, ex quibus satis multa exempla colligi possunt. Nos hoc duplici contenti erimus: *Metuo, mihi in monendo ne defuerit oratio — Metuo, lusciniolæ ne defuerit cantio, Plaut. Bacch. I:* 1, 3, 4. Apud posteriores quidem et aureos auctores hanc formam, nescio quo pacto, nisi quod præsens conjunctivi illam de pristina sua possessione dejecerit, in tali regimine rarissimam esse concedo. Vellem tamen huc quodammodo referre hoc et similia, quibus Epistolæ Ciceronianæ scaturiunt: *velim diligentius omnia, quæ putaris me scire opus esse, perscribas, Cic. Att. III:* 13.